PERSEUS.

Manu geſtans caput Meduſæ, ex cujus corpore loco ſanguinis rubrum vinum fluit.

GRavi ſeſe obtulit periculo Jaſon aurei velleris cupidine ductus, dum taurum æripedem ore flammas vomentem Medeæ auxilio domuit, at longè graviori diſcrimini ſeſe expoſuit Perſeus, in Meduſam pugnaturus, armaverat enim illa caput non ſolùm ſerpentibus in capillorum formam defluentibus, ſed arcana vi ita intuentium oculos faſcinare noverat, ut veneno medullas penetrante attonitos homines verteret in ſaxa, non tulit monſtrum humano generi fatale generoſus Perſei animus, ſed Minerva manum regente dormientis caput diviſit à corpore, exitiumq; ſibi deſtinatum in hoſtes detorſit, Polidecten enim accurrentesquè ſocios abjecto Meduſæ capite coëgit lapidem induere, adeò nihil ad perniciem natum eſt, ut ex eo emolumentum non trahat prudentiæ unita fortitudo: redivivam in Porta Ottomanica Meduſam cum horrore ſpectavit Europa, cujus potentia ſubditorum numero confiſa vicinorum populorum vires adeò gravi torpore conſtrinxerat, ut nemo invadentis vultum niſi cum jactura ferret, ſuccumbente multitudini virtute, ſed non patitur frigido horrore pectus glaciari, qui totus ardet ad gloriam, hinc Perſeum æmulatus LEOPOLDUS MAGNUS irruentis monſtri nervos ſuccidit, oſtenſoq; ſauciatæ Turciæ exemplo hoſtes ſuos docet præ metu obrigeſcere, ne pari clade opprimantur. Irruperat in Auſtriam pactorum fiduciâ ſecuram Turcarum exercitus, & ſicut ſcorpio, dum ſubdolo amplexu adulatur, mortiferum infigit aculeum, manibusq; contritus facto medetur vulneri, pari cum Achillis haſta virtute, cui & feriendi & ſanandi vis inerat, ita Sultanus, dum ſub dulci induciarum prætextu blanditur *Auguſtiſſimo*, totam atrociſſimi belli molem effudit in Auſtriam, ruina nec domui,

nec ſexui, nec ætati parcente; ſed multiplici attritus clade profundo ſinu recepit malum, quod alteri paraverat, & ſic per Turcarum plagas obductæ ſunt Auſtriæ cicatrices, domitisq; gemitibus in triſtitiæ locum eò major ſuccedit lætitia, quò graviùs Ottomani recrudeſcunt vulnera, fruunturq; pari gaudio & fortunâ, qui pari ardore arma & invictos animos LEOPOLDO MAGNO univerunt ad tyrannidis excidium, devictas Turcarum acies expugnatasq; urbes excipiente ſemper Chriſtianorum gaudio, & referente in diruendis Athenis Græcorum lætitiam, ſuſtulerat hæc civitas teſte Xenophonte ſuperbum caput continuis inflata victorijs, & indignata urbes in Græcia eſſe, quibus non imperaret, modò enervando Lacedæmoniorum robori, modò infirmandæ Thebanorum potentiæ, modò diripiendis Corinthiorum theſauris intenta continuo bello vicinos premebat populos, ſed firma non fuit potentia, quam ambitio ſuper alienæ calamitatis rudera fundaverat, dum enim ſingulorum fatigavit patientiam, univerſos armavit in ultionem, hinc poſt cruentas cædes expugnata, graviſſimas ambitionis pœnas dedit, à circumfuſo enim vicinorum populorum exercitu funditùs everſi ſunt muri inter feſtivos tubarum plauſus, & muſicorum inſtrumentorum concentus, animabanturquè novo ſemper clangore tubæ, & læto ſono inſtrumenta muſica, dum magna muri pars aut turris fatiſcebat. Æqualem cum Athenienſibus ſortem experitur Turcia, quæ injuſtis bellis vicinorum Principum animos provocavit ad vindictam, ad cujuslibet enim cadentis urbis famam fervent in gaudia Chriſtianorum animi, reboantibus tormentis, & lætum clangentibus tubis, ita Turcia, quæ crudeli hilaritate non niſi alieno ſingultu delectabatur, alieno confecta gaudio marceſcit.

BEL-